

esse patet. Praeter hunc locum duo alii sunt ex quibus duplicem fuisse Persarum recensionem perspicui potest. Athenaeus enim (III p. 86 B) haec habet: *Αἰσχύλος δ' ἐν Πέρσαις τίς ἀνήρει τοὺς (ἐν Πέρσαις τινὰς Dindorfius) νήσους νηριτοτρόφους εἶρηκεν.* Quae cum in Persis non legantur, A. Heckerus ἐν Περραιβίῳ pro ἐν Πέρσαις scribi vult; Burneus (tent. de metris Aeschyl. pag. 44) ea post ἐχρά-  
τυνε Pers. v. 900 inserenda esse opinatur, Hermannus de Aeschyl. psychost. p. 15 post v. 916. Sed frustra hac in re homines docti laboraverunt. Deinde in schol. Hermogen. (Bekk. Anecd. graec. p. 1073) ex Aeschyl. Persis affertur vocabulum ὑπόξυλος, quod ibi non invenitur. Quare Welckerus (Nachtr. p. 178) et Langeus-Pinzgerus (Epist. crit. ad G. Hermannum) illam vocem ex Glaucō depromptam Persarumque nomine totam trilogiam comprehensam esse putant. Sed haec omnia vana esse neque ratione disputata nemo non videt.

4. Una cum Persis Phineus et Glaucus fabulae scaenae commissae sunt quas *Προμηθεὺς σατυρικὸς* sequebatur, sive *πυρκαεὺς*, quo nomine hoc drama satyricum appellat Pollux X, 64. Persas autem, Phineum, Glaucum, quem Potniensem fuisse et in libris Laurentiano recentioribus memoriae est traditum et inde colligi potest, quod altera fabula, quae inscripta erat *Γλαῦκος Πόντιος*, haud dubie satyricis adnumeranda est, argumenti perpetuitate arte inter se coniunctas fuisse neminem fugere potest qui severarum legum quibus Aeschylus in formandis trilogiis usus est, non sit ignarus. Et in prima quidem fabula Phineum vatem quem Salmydessi in urbe Thraciae regnasse Appollodorus auctor est (I, 9'), recte Welckerus docuit non solum Argonautis viam descripsisse qua in Colchidem pervenirent, sed etiam bella posterioribus temporibus inter Asiae populos et eos